

Q. D. B. V.

AMICÆ GRATULATIONIS

FIDES AC CONSTANTIA

VIRO NOBILISSIMO

DN. CASPARI CHRI-
STIANO SELIGMANNO,

JCto Celeberrimo, & haetenus Se-
natori Scabinoq; primario apud
Zittavienses,

nunc

S Y N D I C O

d. 25. Febr. M DC XCI.

revocatur in memoriam,

novisq; votis & omnibus favere jubetur

^à

CHRISTIANO WEISIO, R.



ZITTAVIÆ.

Typis Michaëlis Hartmanni.

NOBILISSIME DOMINE.

Necundissimum semper fuit gratulandi officium, qvoties rebus Tuis adspiravit aliquia felicitas. Amor impellit, ut libenter faciam; virtus Tua monet, ut honeste faciam: ipsa DEI providentia votis annuit, ne frustra qvid faciam. Equidem gaudeo contigisse nunc in Rep. nostra gradum satis insignem: sed gaudendi hoc argumentum multis abhinc annis mihi dictitavit animus. Scis, qvid scripserim ego, cum de Doctoris nomine gratulandum esset Tibi. Salutaveram Lipsenses, ad regendum hoc in Lusatia Gymnasium progressurus: in hoc amicorum valedicentium strepitu, postulabantur versus, qvos qvidem polliceri non poteram, nisi festinatissimos. Effundebam lineas non adeo multas, ignarus ab extemporali calamo tradi posse oracula. Nam qvid impedit, qvo minus in hoc etiam scripto legatur epigramma, cuius me vel puduit vel poenituit nunquam.

*Dum me ZITTA vocat, Tua poscit laurea carmen,
Rectorisq; cupis DOCTOR habere metrum.*

Scis qvid conjiciam? referet Tibi ZITTA brabeum,

Sive Senator eris, seu quoq; Consul eris.

Sic mihi post seros Tua lux affulserit annos,

Ac dederis nostræ, qvod vovet ipsa, Schola.

Forte Tuus Natum cernet Pater eße BEATUM,

Atq; ego tam solidâ laude BEATUS ero.

Tria dixeram fore, ut Tuis dignitatibus studeret Patria, testemq; splendoris haberet Parentem, qvin & sinceram lætandi materiam simul offerres Gymnasio. Nunc dixisse pulchrum est, ubi veritas ipsa probat, esse carmina, qvæ non mentiantur.

De Patria qvod promiseram varios patiebatur interpretes: qvippe Rectorem accessisse credebant, qvi futuros qvidem exasciare Señatores, non qvi certam ipsis dignitatem, suo velut suffragio, decerneret. Ast ubi nondum siluit carmen meum, primis statim annis aliorum conticescebant ludibria. Dabatur in Senatorum ordine locus, innotescebat studiorum & peregrinationum dexteritas: loquendi & consultandi gratiam mirabantur cives, laudabant exteri, probabant nostrorum successuum arbitri. Sic omnes Tibi destinabant, qvod nimis sero gratulamur. Eo enim Te pervenisse crediderant multi, qvo Te nunc tardior deduxit eventus: gemino bonorum gaudio, qvi Syndicum agnoscent titulo, qvem hactenus talem agnoverunt merito. Sed Consulem Te fore dixeram: interim nunc mihi satis est, Te spectare Consulibus vicinum. Qvicq; id isti consultant, Tu lo-

qve-

queris: caput isti referunt, Tu lingvam, qvam capitis habemus partem: isti loqvuntur in Curia, ut eos repræsentes, in Comitiis, in conventibus, in admissionibus aulicis. Proinde gratulor mentiri non potuisse Poësin meam, & ne porro suis ominib⁹ admisceat fabulas precor.

At enim vero Parenti destinaveram hoc felicitatis spectaculum, qvi nunc sede cœlesti receptus, nostra nos curare patitur. Interim spei viderat initium, fortunæq; talem successum, ut in eo posset acqviere paterna pietas. Neq; desunt qvi propinqvioribus adhuc lacrymis amorem ac lætitiam profitentur. Vivit Matrona, duos è mariti cineribus Phœnices naœta, qvibus qvidem florentibus, viduam se non sentit. Habeat ea sincerum educationis fructum, &, qvando consiliis vel beneficiis præstare nihil potest ulterius, votis ac precibus geminas familiæ columnas, Virorumq; Beatorum nomen sustineat.

Vivit etiam *BEATI PARENTIS ECTYPUS*, de cuius ulteriore possessione nondum gaudere desinunt Lipsienses: cui nisi de fraternis qvoq; successibus gratularer, omnino forem dignus, qvi amoris vestri commercia prorsus ignorarem. Servet hunc Deus, ut servandi studium rei tum ecclesiasticæ, tum literariæ testari queat: nec unquam laboris vel doloris ingruat moles, qvin domestica suorum exempla sint remedio, nostra Zittaviensium nuncia solatio.

Ultimum carminis vaticinium debebatur Gymnasio, cui Tuum patrocinantis favorem variis de causis pollicebar. Huic enim publicæ salutis officinæ, qvis salutarem fore non credidisset, eam in prosequendis studiis constantiam, in libris vel conqvirendis curam, vel tractandis prudentiam, in colendis eruditorum commerciis diligentiam? Et cur eorum semina fastidires in aliis, qvorum & flores & fructus agnosceres qvam maximè pretiosos? Ita vidimus *Scholarcham*, vidimus *Bibliothecæ Curatorem*, nunc vidimus *Syndicum*. Qvippe rarum apud nos non fuit Syndicos habere Scholarchas, studiorumq; directores. Annales referunt Syndicum *Procopium Nasonem* vocandi Gerlachii, ordinandi Gymnasii, colligendæ Bibliothecæ primarium auctorem: Syndicum *Kindlerum*, Syndicum *Gebhardum*, utringq; literatos, & ad provehendam literarum gloriam propensos: nunc Posteris qvoq; laudabitur Syndicus *Seligmannus*. An igitur taceam ubi mea Scholæq; sic agitur causa? Redeat distichon tredecim abhinc annis conceptum:

*Et mihi post longos Tua lux affulgeat annos,
Si referas nostræ, qvod vovet ipsa, Scholæ.*

Vovet autem, ut eruditæ pietati tum doctrina tum disciplina serviat, ut utilitati publicæ publicus hic labor conducat, nec scandalo cuiquam esse possit invida docentium discordia, vel impedimento diversum docendi consilium. Ab his igitur cogitationibus ne mentem penitus astrahas, qvo graviora nunc interpellant negotia, per ipsos Patriæ posteros, per varios, qvi Zittaviæ proficiunt, exterros, per sanctam Prin-

ci-

cipis gloriam, cuius præconium augent literati cives, per beatificum DEI nomen precor & contendō.

Cæterum qvi calamus arripuisse videor gratulandi causa, nescio qvem exerior liberalitatis impetum, ut acclamations ob-signare mu-nusculo qvam libentissimè velim: nam de nummis incipio dispicere, ne putidam aut humilem credas offerendi voluntatem. Scis cuius ego beneficentiâ desierim esse pauper, postqvam in Bibliotheca mea spe-ctantur nummorum collectores accuratissimi, alter *Franciscus Me-diobarbus Biragus*, qvi septem abhinc annis *Imperatorum Romano-rum Numismata*, à *Pompejo Magno ad Heraclium* olim ab *Adolfo Occone* congesta, è typographia Mediolanensi copiosius & nitidius produxit; alter *Claudius du Molinet* qvi *Romanorum Pontificum Historiam à Martino V. ad Innocentium XI.* per eorum numisma-ta, ab anno 1417. ad annum 1678. Parisiis illustravit. Ex hoc velut gazophylacio ne meum respuas beneficium, vel primi benefactoris nomine rogo.

Copies igitur è nummis Imperatoriis duos, è Pontificiis totidem. *Constantinus M. Ara* velut pietatis signo adscripserat: BEATA TRANQVILLITAS; *Magnentius sedenti Prudentia*: BEATITU-DI PUBLICA. Tua sint qvæ adspexi. Vivat Princeps his symbolis dignissimus. Floreat Patria sub hoc Principe felix, ut nihil sit beatum, nisi simul *tranquillum*; nihil *tranquillum*, nisi simul *publicum*: Tuisq; semper protocollis titulum facere videatur *Publica hæc & Beata Tranquillitas*.

È Pontificiis placuerunt, qvos Paulo II. vidi oblatos, post annum 1464. *Is adeptā pace festivis spectaculis populum recreaverat*: inde legebatur in nummo: HILARITAS PUBLICA; Bononiensi Academia variis beneficiis profuerat, inde scripserant: LÆTITIA SCHOLASTI-CA. Tibi, Tuis votis & consiliis ea debebuntur. Zittaviæ nihil sit pu-blicum nisi scholasticum, h. e. Scholæ beatificum; nihil scholasticum, nisi publicum, h. e. commodis universorum salutare. Cernas in Curia fructum pristinæ Scholæ, in Schola futuram Curiam, & dum vestra *Hilaritas* nostra fuerit *Lætitia*, Te BEATUM VIRUM publicè priva-timq; veneremur.

Concludo verbis, qvibus Rector olim *Gerlachius*, Syndico Nasoni carmen à se conscriptum, commendavit: *Illud, ut animo ac-cipias bono, aliisq; si ita dignum existimaveris, communices, meq; porro, ut cœpisti, ames, etiam atq; etiam oro. A me certè omnia, quæ pietas postulat, & virum mearum exiguis modulus committit, officiola, ab animo meo prompto & officioso profecta expectabis.*

DEUS Te servet.

